



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. XX. De Morte Magistri generalis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

## C A P. XIX.

*De,**Vindicta Domini.*

**M**edio tempore, quo Hungari terram Colmensem destruerent, Rex Hungariae cum maximo exercitu processit contra Regem quendam subditum suum, dum regnum illius invaderet, rustici illius regionis arbores sylvæ per quam oportebat Hungaros redeundo transire, servis præciderunt per medium, ut dum una caderet, tangendo aliam deprimeret, & sic deinceps. Unde factum est, ut dum in reditu intrassent Hungari dictam sylvam, & rustici prædicti moverent arbores, cecidit una super aliam, & sic cadentes omnes ex utraque parte oppræsserunt magnam multitudinem Hungarorum. Ecce licet Deus sit bonus, placidus & misericors, patiens & multæ misericordiæ; tamen secundum Prophetam Naum, est & ulciscens Dominus, & habens furorem, ulciscens Dominus in hostes suos & misericordia tolerare, quod iste Rex Hungariae gentem suam miserat, ad destruendam terram Christi & matris suæ & fratrum inibi habitantium, qui quotidie parati sunt exponere res & corpus, ut vindicent injuriam Domini crucifixi. Utique sine ultione non poterat Dominus pertransire.

## C A P. XX.

*De,**Morte Magistri generalis*

**A**nno prædicto, scilicet MCCCXXX. in Octava S. Martinii hyemalis frater (a) Joh. de Endor, (b) Saxo natione, Ordinis domus Teutonicae, instigante Diabolo & propriâ iniunctio te Fratrem Wernerum Magistrum generalem, dum cantatis ve-

Ggg 3

speris

speris exiret de Ecclesiâ, interfecit, (c) quod ipsum pro suis excessibus increpabat. O Johannes fraticida quid fecisti? En sangvis fratris tui clamat ad Deum de terrâ. Quis unquam audivit talia horribilia? perpetrasti enim malum, quod à principio fundationis Ordinis non est factum. Interpretationem nominis tui, Joannes dicitur in quo est gratia. Sed, heu! in te nulla fuit gratia, cum Magister te corriperet pro delictis tuis, tum eum, si sapiens fuisses, debueras diligere ceu Patrem tuum. Nunc autem ut stultus eum odio habuisti. Cur tanta benignitate usus non fuisti? Cur Judæ dementiâ eodem dic cibum & potum ejus osculatus fuisti, & tu ipsius corpus cultro perforando sanguinem effudisti? Ipse te corripiendo vitam auferens mortem crudeliter intulisti. Quis igitur dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum! & plorabo de die & nocte Principem populi mei sic miserabiliter imperfectum,

## ANIMADVERSIONES.

- (a) Variè hic parricida à variis appellatur. Simon Grunovius ipsum vocat Johann von Brondorp. *Vid. Grunov. Tract. XI. cap. 14.* Caspar Schuzius eum vocat Hans von Bienendorff. *lib. 2. Chron. fol. 64. 4.* Hennebergerus Johann von Bindorp. Waisselius Biendorff.  
 (b) Marchiacum ipsum fuisse dicunt omnes jamjam citati Auctores.  
 (c) Videlicet, Magister ipsi concedere noluit, ut expeditioni, quam contra Samogitas parabat interesset. Detestabatur enim Magister impiam Johannis hujus vitam. Quapropter ne ipsi commoda libidinis in bello exercendæ præberetur ansa, domi eum manere voluit. Hanc ille injuriam interpretatus, cultrarium accessit, empto cultro, cum moneretur, ut & vaginam emeret, respondit, se cultrum illum in præstantissimam, cuius in Prussia daretur copia, vaginam reconditurum. Præstolabatur itaque Magistrum sacra in sacello S. Catharinæ peragentem, quem etiam exeunte sine comite cultro transverberavit. *Vid. dicti Auctores II, cc.*

CAP.

